

CLEMENS XI. ex illorum subscriptione nullam agnoverit limitationem aut restrictionem.

Demum si quid ex declaratione Catalaunensis, atque ex omnibus aliis subscriptis in causa quatuor Episcoporum editis inferri possit; id, credo, erit, quod pleraque sint *obscura et ambigua*; prout in Jansenii defensoribus semper deprehensum, et ab ipsis Jansenianis reprehensum fuit; tum a Quesnello non semel conquesito, quod res suo nomine non compelletur, tum a Gerberonio, qui hanc scribendi agendique rationem, bonae fidei, justitiae, sinceritati et candori Christiano adversam, Jansenianis exprobavit.

235. *Observa II.* Permissò etiam, agnoscisse CLEMENTEM IX., quod quatuor Episcopi inter jus et factum distinxerint: nihil inde evincitur in gratiam *silentii obsequiosi*. Nam 1º. CLEMENS IX. privatis Brevibus approbando illam quatuor Episcoporum distinctionem, non potuit infringere. ALEXANDRI VII. publicam ae solemniem legem purae ac simplicis subscriptionis, ab Episcopis acceptatam, auctoritate Regia munitam. 2º. Quod CLEMENS IX. privata auctoritate potuit contra constitutionem ALEX. VII., hoc ipsum certe potuit CLEMENS XI. solemni Constitutione contra privata Brevia CLEMENTIS IX.: sed in Bulla *Vineam Domini*, que ipsis fatentibus Jansenianis est judicium Ecclesiae irretractabile, lex ALEX. VII. jubetur ex integro servari; ergo. Demum pro invictissimo argumento sunt testimonia ipsorum et insigniorum *Jansenistarum*, qui familiaribus ad amicos litteris et colloquiis confessi sunt, nihil plane certi ex dicta CLEMENTIS IX. pace colligi posse: videlicet D. Valloni, Romæ Jansenianorum actor, in epist. ad Quesnellum 2. Jun. an. 1696.; in alia ad eundem mense Jul. ejusd. anni; idem in epist. 27. Mart. 1700. etc. Vide Tournely hic.

ARTICULUS VI.

QUE NAM SIT QUESNELLISMI HISTORIA, QUOD SYSTEMA, QUÆ IN ILLUM LATA SENTENTIA?

236. *Nota I.* *Quesnellismi* nomine nihil aliud intelligimus, quam *Baianismum* ac *Jansenismum*, tum accessione aliorum errorum auctum, tum majori pertinacia et Ecclesiae contemptu defensum. Appellatur a Paschasio Quesnello, qui natione Gallus, patria Parisinus, natus est an. 1634. Is in Parisiensi Universitate artium studiis an. 1653. confectis, et cursu Theologico in Sorbona absoluto, an. 1653. nomen dedit Congregationi Presbyterorum Oratorii a Card. Berullo in Galliis institute. Sacerdotio an. 1659. initatus, totum se dedit libris conscribendis, inter quos an. 1673. edidit opera S. LEONIS Papæ una cum scholiis et dissertationibus, quæ Romæ an. 1676. graviter prohibita fuerunt.

Ea prohibitione irritatus, cum ex decreto in Comitiis generalibus Oratorii Gallicani an. 1678. edito, juberetur una cum cæteris formulam adversus *Baium* et *Jansenium* subscribere, renuit, neque Regis etiam imperio ad saniorem mentem revocari potuit. Quare Parisiis excedere coactus, Aureliam se primum recipit: post, anno scilicet 1683. poenarum metu Galliis desertis, in Belgum se contulit Bruxellas.

Hic cum Arnaldo factionis Jansenianæ duce latitans, per novem annos, si paucos menses excipias, quibus ambo Delphos in Hollandia, inde in Leodiensem tractum declinandi periculi causa secesserant, commoratus, auxiliarem calamum ad spargenda pro Jansenismo Opuscula, Libellos et Tractatus præbuit: ab anno autem 1694., quo Arnaldus decessit, Janseniani agminis jam factus antesignanus, ibidem totus incubuit ad subruendos pestilentissimis scriptis, tum Ecclesiasticorum, tum Politicorum Magistratum pro veritate Catholica conatus.

Anno 1703. cum Gabriele Gerberon O. S. B. Congreg. S. Mauri quidem presbytero, sed ob Jansenianam hæresin in Belgium etiam profugo detectus, captus, et per trimestre in carcere Ecclesiastico detentus fuit. Hoc postmodum Jansenianorum ope effracto, elapsus in Hollandiam decessit, ibique asylō securus ac tectus usque ad mortem suam infinita prope scripta pro se et Janseniana hæresi spargere in publicum perrexit. Obiit renovata ante vitæ exitum *appellatione ad ecumenicum Concilium*, et in erroribus pertinax, gravissimis censuris Pontificis irretitus, Amstelodami die 2. Dec. an. 1719. ætatis 83.

Characterem vitæ ipsius præbent criminacionis capita, propter quæ rite probata, et in *Causa Quesnelliana seu Motivo juris pro Procuratore Curiae Ecclesiastice Mechliniensis Actore contra Paschasium Quesnellum citatum et fugitivum* etc. uberioris deducta, HUMBERTUS a Præcipiano Mechliniensis Archiepiscopus in eum tanquam Baianismi et Jansenismi, aliorumque excessuum convictum an. 1704. tulit sententiam.

Sunt autem haec præcipua 1. Quod formulæ a Congregatione Oratorii ad rejiendam hæresin Jansenianam injunctæ subscribere recusarit, et Gallia deserta in Belgio Catholico, quamvis presbyter, sub ueste laica latuerit.

2. Quod ibidem et in vicinia excitatis turbis, commoverit Presbyteros contra Episcopos proprios, et Clerum Batavicum aduersus S. Pontificem.

3. Quod Baii dogmata renovarit, laudaritque operum ejus novam editionem.

4. Quod hæresin Jansenianam propugnaverit, et scriptis suis passim inseruerit.

5. Quod Pontificis decretis in causa Jansenii latis liberaliter detraxerit.

6. Quod scripserit esse sacrilegum et Ecclesiae injuriosum, exigere subscriptionem formulæ ALEXAND. VII.

7. Quod adhæserit factioni Jansenianæ Ecclesiae et Principibus rebelli, illam post Arnaldi obitum rexerit.

8. Quod in litteris factionem concorrentibus passim usus fuerit cifra fictorum nominum.

9. Quod scripserit et ab intimis suis receperit litteras utrique Magistratui graviter obtrectantes.

10. Quod reimprimi et distrahi curaverit scripta a Pontificibus prohibita, et ediderit similia scripta anonyma plurima.

11. Quod preparaverit compilationem 156. opusculorum, a nata hæresi Janseniana editorum, quorum etiam plurima a Sede Apostolica fuerunt damnata.

12. Quod secreto administraverit Arnaldo ultima Sacraenta. Item ausus

fuerit in aedibus suis privata sua auctoritate erigere oratorium domesticum, et in eo dicere sacrum.

237. Nota II. Inter plurimas *Quesnelli* scriptiones nominatissimus est liber *anonymous*, Gallico idiomate impressus hoc titulo : *Novum Testamentum cum reflexionibus seu observationibus moralibus*, vel : *Epitome doctrinae moralis Evangelii*; ex quo centum propositiones et una, postmodum damnatae, extractae sunt. In eo perficiendo et penitus absolvendo *Quesnelli* 22. annos impedit, in textu versionem Gallicam Montesein, alias jam proscriptam et prohibitam, in reflexionibus autem *Baium*, *Jansenium* et *Richerium*, cuius systema de potestate ecclesiastica et politica jam seculo decimo sexto reprobatum fuerat, secutus.

Prima hujus libri editio adornata fuit an. 1671. a *Quesnello* in Galliis adhuc degente : complectebatur quatuor duntaxat *Evangelia* cum brevioribus quibusdam reflexionibus moralibus : constabat unico volumine in-12., approbata erat a Felice *Vialard* Ep. Catalaunensi. In hac reperiuntur quinque tantum propositiones, nempe 12. 13. 30. 62. et 63. ex propositionibus 101. postea damnatis.

Altera facta est an. 1687. Complectebatur, praeter quatuor *Evangelia*, etiam reliquos N. T. libros cum observationibus moralibus : constabat tribus brevioribus voluminibus in-12. In ea, praeter quinque prioris editionis, extant quadraginta octo propositiones ex damnatis.

Tertia absoluta est an. 1693., et erat idem, quod editionis secundæ, opus, sed variis et gravioribus a *Quesnello* amplificatum additamentis : prodiit Parisis quatuor jam et grandioribus in-8 distinctum tomis. In hac et sequentibus editionibus omnes et singulæ deprehenduntur 101. propositiones damnatae.

De his porro editionibus adhuc notandum 1^o. editiones an. 1693. 1694. et 1699. esse eas, e quibus damnatae propositiones de verbo ad verbum extractæ sunt. 2^o. Antonium de *Noailles* tunc Episcopum Catalaunensem, postea Cardinalem et Archiepiscopum Parisiensem, dato pastorali documento an. 1695., approbasse editionem ejusdem libri anno eodem factam, postquam postulasset, ut in editione an. 1693. leviores quædam correctiones et nonnullæ verborum mitigationes fierent : editionem autem an. 1699. ex occurrentibus quibusdam causis non probasse, quamvis novo Pastorali illam probare instituisse videbatur.

238. Dico I. *Historica Quesnellismi synopsis* (quam ab an. 1693., ubi liber *Quesnelli* perfectus tandem ac penitus absolutus fuit, repetendam censemus) ex sequentibus epochis potissimum intelligi potest.

Epocha I. Novum Testamentum cum observationibus *Quesnelli*, quod vel ob exiguum suam molem vel ob minorem errorum numerum, præsertim alio Catholicorum animos avocantibus Jansenianis turbis, illasum aut certe dissimulatum manibus fideliū terebatur, notari statim cœpit, ubi editionibus semel ac iterum jam repetitis novisque adjectionibus grandius, ac postremis curis ad perfectionem elaboratum prodiit an. 1693. Ab eo enim tempore sicut illud opus a *Jansenistis* celebrari laudibus, sic a Catholicis versatarum Jansenianarum magis gnaris virus sub sermonis elegantia et

pietatis specie delitescens detegi et notari cœpit. Et quidem D. *Fromageau* Doctor Sorbon. mox an. 1694. ex eo propositiones 199. erroneas et censura dignas colligit. De pluribus aliis *Quesnelli* fœtus aut improbatoribus aut censoribus vel ipsi Jansenianarum partium coryphæ D. *du Vaucel* et D. *Willart* suis in epistolis an. 1697. datis queruntur et testantur.

Sub hæc vero tempora, inclinantis nempe seculi prioris et exordientis postremi, partim reprobarunt, partim legi prohibuerunt Archiepiscopi *Lugdunensis*, *Viennensis* et *Narbonensis*, nec non Episcopi *Ambianensis*, *Massiliensis*, *Valentinus*, *Biterrensis*, *Castrensis*, *Lexoviensis*, *Meldensis*, qui erat celeberrimus *Bossuetius*, et alii. Demum ubi in Belgio contra *Quesnelli* profugum et contumacem causa agi cœpit, Gallia apertius in partes scissa est, majore quidem et saniore parte illum ut *Jansenismi* innovatorem, et ejus librum damnandum censem : aliquibus et auctorem et librum ab omni erroris labे purgare conantibus.

His dissidiis excitus *CLEMENS XI. P. M.*, examini accurato subjicit memoratum librum, eumque edito die 13. Jul. an. 1708. decreto in forma *Bravis*, quod incipit : *Universi Dominici gregis*, legi prohibuit, et sub pena excommunicationis ipso facto incurriende amplius imprimi vetuit, et ne simplices deinceps deciperentur, eumdem flammis publice tradi mandavit.

Epocha II. Cardinalis *Noallius* libri damnatione, quem antea approverat, vehementer jam commotus, cum legeret commune Mandatum *Lucionensis* et *Rupellensis* Episcoporum an. 1710. et pastorale monitum anno sequenti a *Vapincensi* Episcopo promulgatum, quies præfatum opus confutarunt et proscriperunt, accedentibus *Quesnelli* starum cavillationibus magis irritatus, hæc Mandata tanquam supposititia, proscriptis olim erroribus faventia, et ab inimicis Episcopatus laxiorisque moralis defensoribus elaborata, an. 1711. damnavit. Contra hanc damnationem cum priores Episcopi suas quærelas ad *Ludov. XIV.* Regem Christianissimum deferrent, *Quesnelli* autem libri damnationem sine designatis erroribus ægrius ferrent, Rex, consentiente etiam et postulante *Noallio*, a Pontifice novum examen et distinctiorem sententiam de libro petiit.

Postulationi huic deferens *CLEMENS XI.* integro biennii spatio renovari examen curavit, et habitis etiam coram se pluribus S. Officii Congregatiōnibus, ex plurium Cardinalium et Episcoporum votis tulit tandem sententiam solemniori forma, edita nempe 8. Septemb. an. 1713. Constitutione, quæ incipit : *Unigenitus Dei Filius*, qua centum et unam propositiones ex Novo Testamento cum reflexionibus moralibus *Quesnelli* edit. an. 1693. 1694. 1699. verbo tenus excerptas, ipsumque librum damnat sub variis censure notis.

Epocha III. Constitutionis hujus adventum in Gallias prævertens Card. *Noallius* edicto, sed generalibus terminis concepto, damnavit librum *Quesnelli*. Transmissa vero ad Regem Bulla, variæ de ejus acceptatione difficultates exortæ sunt ; ubi enim in Comitiis Cleri Gallicani an. 1714. habitis, duce Card. Armando de Rohan, quadraginta Praesules præsentes hanc Bullam omnino acceptarent, octo alii duce Card. *Noallio*, primum sua suffragia reticuerunt : deinde autem obtenderunt circa nonnullas e damnatis propositionibus aliquid difficultatis occurrere, cuius elucidationem a S. Pontifice requirendam censerent.

Rex majori et saniori Praesulum parti subscribens, edictum pro Bullæ

observatione expediri jussit : Præsules addiderunt pastorale Mandatum de ejusdem acceptatione et observantia ad omnes Gallie Episcopos, quorum plerique omnes Constitutionem suscepserunt et promulgarunt gravissimis hanc in rem editis Mandatis, quorum exemplum inter reliquas Universitates etiam secula est an. 1714. Parisiensis. His tamen adeo non acquieverunt Episcopi illi detrectatores, ut potius eorum aliqui edicta contra Constitutionem suis Dioecesis emiserint.

Quin post Ludovici XIV. fata, Duce Aurelianensi Regni habenas moderante, eo refractariorum processit audacia, ut an. 1717. quatuor Episcopi, nempe Mirapicensis, *de la Broue*; Montispessulanus, *Colbert de Croissi*; Boloniensis, *de Langle*; Senecensis, *de Soanen*, instrumentum publicum ediderint interjectæ a se appellationis a Constitutione *Unigenitus* ad Concilium oecumenicum libere ac legitime celebrandum; quo in facinore sectatores habuerunt postmodum Card. *Noallum* aliasque Episcopos duodecim una cum privatis quibusdam ex diverso statu, ac tribus Facultatibus Theologicis, inter quas Parisiensis falsum esse declaravit, a se nuper Constitutionem fuisse acceptam.

Epocha IV. Audax ejusmodi molitio non displicuit duntaxat regni gubernatori, et regi Ludovico XV. sub susceptæ gubernationis exordium, sed auctoritatem etiam Ecclesiasticam ex omni parte contrariam sensit. Praeterquam enim quod aliarum regionum omnium Præsules ac Universitates pro acceptatione Constitutionis Pontificiæ starent; appellationes illæ an. 1718. et a Gallicanis Præsulibus, et a CLEMENTE XI. reprobatae et confixæ fuerunt : quod idem ab iisdem Præsulibus et Clementis successore INNOCENTIO XIII. actum est an. 1722. contra litteras septem Episcoporum appellantium schismaticas et hæretico spiritu plenas.

His Constitutionis sepius memoratae confirmationibus accesserunt, præter decreta plura Regis Christianissimi Bullam hanc tanquam *legem* non Ecclesiæ minus quam *regni* sui subditis proponentia, Concilium sub S. P. BENEDICTO XIII. an. 1723. Romæ a Cardinalibus omnibus, Episcopis suburbicariis et aliis pluribus celebratum : et aliud Provinciale mense Octobri ejusdem anni Avenione a Præsulibus Comitatus Avenionensis conflatum, in quibus Bulla *Unigenitus* debitis laudibus celebrata, ipsiusque observantia et obedientia commendata, et rursus imperata fuit.

Quibus tamen adeo fracta non fuit *Quesnelliistarum* pertinacia, ut potius libris ac scriptis ab hac factione schismaticis et refractariis sic tanquam diluvio Gallia et Belgium oppliceretur. Inter Episcopos autem ejusmodi eminuit pertinacia D. *de Soanen* Ep. Senecensis, quam ille tum factis contestatus est sepius, ubi, quotquot a Jansenistis ex Hollandia ad eum dirigebantur, solo Episcopi in Protestantium regionibus intrusi testimonio contentus, ad Sacros Ordines publice admittebat ; tum scriptis etiam memoræ prodidit, ubi edita an. 1726. Instructione pastorali vexillum schismatis et rebellionis contra Ecclesiam, reprobata Constitutione *Unigenitus*, apertius extulit.

Epocha V. Tam noxiæ ad exemplum machinationi occursum Archiepiscopus Ebredunensis *Petrus de Tencin*, modo S. R. E. Cardinalis et Archiep. Lugdunensis, annuente Rege Christianissimo, Episcopos Comprovinciales, inter quos et Senecensem, ad Concilium Provinciale evocavit, quod 16. Aug. an. 1727. Ebreduni initium habuit, In eodem comparens Ep. Senec-

censis, postquam ante protestatus esset, se illud Concilium nec sine persone, nec suorum scriptorum judicem agnoscere, rogatus, num pastorale illud documentum, quo damnaverat formularium ALEX. VII. et Bullas *Vineam Domini* ac *Unigenitus* CLEM. XI., nec non librum *Moralium Reflexionum* QUESNELLI probaverat, tanquam suum agnosceret, id verbis et scriptis est professus, seque illius defensionem suscipere declaravit, donec convinceretur, errores in eo reperiri.

Patribus damnationem illius Instructionis pastoralis meditantibus, Senecensis objectit rursus suam protestationem, et Præsules omnes ac singulos ob certas et distinctas causas scripto exposita recusavit judices, quin tamen causarum probationes palam adducere vellet. Sub haec Antistites congregati, ne quid ad duritiam hominis emoliendam omitterent, ex vicinis quinque Provinciis accersivere Episcopos decem, nulla a Senecensi notatos exceptione; quibus ubi omnia Concilii gesta communicata fuissent, cognitio causæ denique suscepta est.

Interim per tres septimanas laboratum fuit in Episcopo Senecensi ad saniorem frugem reducendo; sed cum nihil proficeretur, tria monitio canonica facta est : hac quoque effectu suo frustrata, unanimi Patrum consensu ipsa quidem Instructio pastoralis confixa est tanquam *temeraria*, *scandalosa*, *seditiosa*, *Ecclesie*, *Episcopis* et *auctoritatí Regiae injuriosa*, *schismatica*, *haeretico spiritu plena*, *erroribus referita ac hæreses fovens* : De persona autem fuit pronuntiatum, ut dictus *Episcopus sit et maneat suspensus ab omni officio et jurisdictione Episcopali et ab omni exercitio Ordinis tum Episcopalis, tum Sacerdotalis*.

In cuius vim Synodus omnes a Senecensi illo Episcopo constitutos officiales Ecclesiasticos exauktoravit, elegitque in locum suspensi et interdicti Episcopi ad Diocesin Senecensem regendam Dominum de Saleon, nunc Viennensem Archiepiscopum. Acta hujus Concilii omnia BENEDICTUS XIII. Brevi die 27. Decembr. an. 1727. dato plenissime confirmavit, et Rex Christianissimus sua auctoritate munivit.

Epocha VI. Dum Concilium hoc universæ Catholicæ Ecclesiæ acclamatione susciperetur, et ex omnibus fere Europæ provinciis Præsules litteris vel decretis illud laudarent; uni *Quesnelliæ* refractarii in illud surrexerunt ope Parlamenti Parisiensis. Hujus enim Advocati seu Causidici quinquaginta, Synodi acta infirmare, et omnes errores in ea damnatos tueri conati sunt, edita in hanc rem famosa Consultatione ab illis die 30. octobr. an. 1727. subscripta. His accesserunt e numero appellantium *Episcopi duodecim*, qui biduo ante data ad Regem epistola patrocinium Senecensis et oppugnationem Concilii suscepserunt.

Verum nec Rex, nec Gallicani etiam Episcopi veritati et justitiæ defuerunt, qui tum sententia Ecclesiastica, tum Edicto regio, utrumque et consultationem et epistolam diluerunt, rejecerunt et prohibuerunt. Subsecuta est an. 1728. a Card. *Noallio* interjectæ olim appellationis constans ad mortem usque revocatio, puraque ac simplex ab eodem Constitutionis *Unigenitus* acceptatio. Editum quoque est an. 1729., et sequentibus annis sæpe confirmatum sacrae Facultatis Parisiensis decretum super acceptatione ejusdem Constitutionis, et punitionis in refractarios, qui exclusionem e sinu suo, ipso facto incurserent; quod exemplum Facultas artium Parisiensis decennio

post, nempe an. 1739. secuta est sub Rectoratu Academico Armandi Principis de Rohan-Ventadour, nunc Episcopi Argentoratensis et S. R. E. Cardinalis.

Epocha VII. Hæc inter novam suæ factioni speciem confirmationis *Quesnelliæ* a fictis miraculis aucupati sunt. Jactabant enim prodigia quædam, quæ in Cœmeterio S. Medardi Parisiis ad sepulcrum Diaconi cuiusdam, nomine *Paris*, in Appellatione constantis et cum sanctitatis fama defuncti, ad ejus invocationem fierent. Eorum vero miraculorum triplex classis erat: 1^a. completebatur nudas convulsiones, seu membrorum distensiones aut contractions absque prævia vel subsecuta curatione: 2^a. curationes convulsionibus annexas, h. e. quæ fuerint causæ vel effectus convulsionum: 3^a. sanationes morborum absque præviis aut subsequentibus convulsionibus factas.

Sed suscepto tandem *prodigiorum istorum examine*, præter alios Gallicanos Antistites, D. de Vintimille, suspectus Noallio Archiep. Parisiensi, eadem Mandatis pastoralibus an. 1731, et 1733. ostendit et juridice declaravit, nec vera, nec certa, nec *divina* censeri posse *miracula*; sed ficta, dubia, absconca et ab omni fide prorsus abhorrentia; unaque acta plurium Parochorum ac scripta edita alia, partim omni fide destituta, partim variis notis confixa damnavit.

Hoc ipsum egit CLÈMENS XII. P. M. contra libellum, *Vita Domini Paris* inscriptum, et Mandatum de simili miraculo Antissiodorensis Episcopi; quorum illud an. 1731., hoc an. 1734. gravibus censuris confixit; Rex vero Christianissimus ad scenicas istas et scandalosas miraculorum exhibitiones prescribendas Cœmeterium S. Medardi claudi an. 1733. jussit. Atque ex hac synopsi apertum est, quæ fuerint hactenus fraudes et diverticula non minus, quam pervicacia *Quesnelliæ factionis*, quæ etsi compressa multum sit, nequum tamen eam in Gallia penitus extinctam dolent Catholici omnes, et, nè etiam in alias orbis partes occultas doctrinæ damnatae fibras vel radices illa emittat, exoptant.

239. *Dico II.* Systema errorum Quesnelli in Bulla *Unigenitus* damnatorum universim reducitur ad tria capita: 1^{um}. est de gratia, ad quod spectant propositiones 43. priores: 2^{um}. est de virtutibus theologicis ac timore gehennæ, iisque vel oppositis vel annexis; ad quod referuntur 28. propositiones sequentes: 3^{um}. est de Ecclesia et Ecclesiæ disciplina; ad quod 30. postremæ propositiones spectant. Qui singulas prepositiones accurate perstrictas legere cupit, adeat, duce *Vincentio Ludovico Gotti*, opusculum *Mediolani* an. 1723. impressum, vel *Tomum secundum Trutinæ theologicæ auctore Dominic. Viva*, vel *Constitutionem Unigenitus a Jacobo Spreng vindicatam*, vel eamdem theologicæ propugnatam a P. Fontaine.

I. *Circa gratiam* Quesnelli 1^o. Adami gratiam facit naturalem et non gratuitam, neque merita producentem, quæ Deo tribuantur, propp. 34. et 35. 2^o. Hanc inter et datam nobis gratiam discrimen statuit, quod nobis ea non sit intrinseca, neque intrinsece nos sanctificet, propp. 36 et 37. 3^o. Omnen et veram gratiam Christi docet semper esse efficacem, cui resisti nequeat, nec in hominis potestate sit, recusare assensum, propp. 9. 10. 11. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. et sub aliis phrasibus in propp. 22. 23. 24. 25. 4^o. Sine gratia efficaci negat in homine omnem potentiam ad quodcumque

opus bonum, propp. 1. 2. 3. 4. 5^o. Sine eadem addit hominem nihil posse neque habere, nisi malum, propp. 4. 5. 38. 39. 40. 41. 42. 6^o. Denegat infidelibus omnibus et peccatoribus gratiam; his quidem ante peccatorum remissionem, illis vero ante fidem, propp. 26. 27. 28. 29.; quamvis baptismi gratiae vim tribuat reddendi homines impeccabiles, prop. 43. 7^o. Inficiatur Iudeis in lege veteri datam esse gratiam, et Christianos gratia efficaci carentes foederi antiquo annumerat, propp. 6. 7. 8. 8^o. Titulum Salvatoris tribuit Christo respectu prædestinatorum duntaxat, propp. 30. 31. 32. 33. Item propp. 42. et 43.

II. *Circa virtutes theologicas, timorem, iisque vel opposita vel annexa* docet 1^o. Præter Dei amorem benevolum et supernaturalem, alium amorem omnem esse malum, propp. 44. 45. 46. 48. 49. Hinc 2^o. negat fidem operari aut esse sine charitate, prop. 51. et 52.: negat spem esse in Deo, ubi non est amor Dei, prop. 57.: negat veram obedientiam, si sit sine charitate, prop. 47.: negat sine charitate orationem haberi aut esse fructuosam, propp. 50. et 54.: negat sine charitate meritum dari, aut esse Christianum, aut coronari, propp. 53. 55. et 56.: negat denique Deum esse aut religionem, ubi non est charitas, prop. 58. 3^o. Timorem supplicii vel poenæ non excludit tantum a salutarium operum numero, sed infamat variis nominibus, propp. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 4^o. Præter fidem et preces, charitate scilicet formatas, nullam virtutem aliam ad salutem exigit, prop. 68. Et ita in fide laudat Dei beneficium, ut destruit hominis meritum, prop. 69. 5^o. Peccatoris tamen orationem tanquam novum peccatum rejicit, prop. 59. omnem autem afflictionem homini vel ad puniendum peccatum vel ad purificandum a peccato servire docet, prop. 70. 6^o. Denique concedit homini, ut sibi ad sui conservationem dispenset a lege omni, prop. 71.

III. *Circa Ecclesiam et Ecclesiæ disciplinam*. Et quidem circa priorem partem docet 1^o. Ecclesiam conflari et constare ex unis justis et electis, propp. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 2^o. Ecclesiæ per primos pastores auctoritatem excommunicandi non tribuit, nisi ex consensu totius corporis saltem præsumpto, prop. 90. 3^o. Ecclesiæ modernæ seditione et schismatice affingit dominatum in fidem fidelium et ignorantiam veritatis juxta primam partem propositionis 94. et 95.

Circa alteram 1^o. vult licitam cuilibet etiam rudi et ignorantie lectionem Scripturæ sacræ propp. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 2^o. Usum Sacrificii ita jubet institui, ut populus omnes orationes dicat cum Sacerdote, prop. 86.; peccatores vero excludantur ab eo audiendo, prop. 89. 3^o. Modum administrandi Sacramenti Poenitentiae præscribit severissimum, et vult differri absolutionem ante satisfactionem poenitentis præstitam, propp. 87. et 88. 4^o. Probat contumci censuras et excommunicationem, dum quis sibi imaginatur, se injuste esse censuratum, propp. 91. 92. et 93. 5^o. Dum, sensu ad Jansenianæ factionis facta accommodato, proponit supremorum Magistratum præventionem obstinatam ac persecutionem injustam tam in personas, quam scripta suorum, planissimam ad seditiones et schismata viam aperit, propp. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100. Denique 6^o. prop. 101. rite intellecta, ubi monet vitari juramenta non necessaria, respicit unice juramentum ex formulario ALEX. VII. præstandum.